Quelle: https://manuscripta.at/?ID=30611
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

ridiane egrediatur per viam porte aquilonis. Quis nam est ille? Populus scilicet iudeorum qui derelinquens viam porte luminis vadit ad portam aquilonis de qua dicitur: aquilo ventus durissimus. Dicamus et aliter. Per portam aquilonis ingreditur et portam meridianam egreditur ∴ quia nimio calore sue caritatis veniat et refrigatis omnibus carnis ardoribus vitam in sanctitate finit. Non revertatur per viam porte per quam ingressus est sed e regione illius egrediatur. Quia electus quisque, sic a terrenis actibus ad spiritualia tendit ut ad ea que reliquerit ulterius non reflectatur. Nam gressus eius est mente et actu semper ad meliora proficere. Princeps autem in medio eorum est, quia ait: Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo ibi sum in medio eorum. Qui cum ingredientibus ingreditur et cum egredientibus egreditur. Quia ipse comitatur et eos qui intrant ad fidem et eos qui exeunt ad dei visionem. Sive tam eos qui intrant ad discussionem sui cordis, quam et eos qui exeunt ad executionem boni operis. Sequitur. Et in nundinis et sollempnitatibus et cetera usque per singula efi. Nundine vero sollempnitates venditionum et emptionum celebrantur, et nunc de his agitur in quibus illi negotiatores operantur quibus dominus ait: Negociamini dum venio. id est doctrinam sanctam (sacram) proximis offerte, et ab ipsis confessionem fidei morumque probitatem recipite, iuxta illud: Sumite psalmum et date tympanum. hoc est laudem predicationis in cordis intentione percipite, et devotione operis in caritatis castigatione reddite. In huiusmodi nundinis agebat et ille negotiator, qui bonas margaritas querens, unam preciosam invenit, et venditis omnibus que habebat ipsam comparavit, et ceteri talium negotiorum executores. Sollempnitates vero sunt in quibus spiritalia regnant gaudia, et deus alacriter in commune laudatur. Qui in talibus nundinis ac sollempnitatibus tam in vitulo quam in ariete per quos christus designatur offerunt efi id est tres modios simile in sacrificium ut in fide trinitatis sacrificent. In agnis vero quibus afflictiones et passiones fidelium exprimuntur non est certus numerus, sed voluntati dimissum arbitrium, sed viribus quisque utitur et bono conscientie ut quantum potest non quantum vult offerat. Et per singula ephi datur mensura olei hin ut ungatur simila, et lucerna accendatur in conspectu domini. Sequitur. Cum autem fecerit princeps et cetera usque holocaustum sempiternum. Quia autem princeps christus fecit spontaneum holocaustum ut se totum deo pro nobis offerat non coactus sed sponte, et pacifica quibus pacem cum deo nobis adquirat voluntarie cuncta faciens. Tunc aperietur ei porta que respicit ad orientem quia per sanguinem passionis eius patefiet introitus celi. Qui faciet ipse non aliud holocaustum quam ipse passionis, et pacifica nostre reconciliationis ante conspectum patris, ut fit in die sabbati quo sabbatismum quietis animarum ingreditur populus dei. Qui his expletis egredietur princeps veniens post resurrectionem ad discipulos suos, claudeturque porta ut nemo cum carne non solus hic princeps et sancti qui cum eo surrexerunt eam intrare possit donec veniat resurrectio generalis. Nam preter animas perfectorum que de corporibus exeuntes cottidie portam hanc intrant, dictum est supra quia non claudetur usque ad vesperam. Post holocaustum vero et pacificam oblationem quam de ipso princeps in cruce semel fecit, facit in ecclesia cottidiano ministerio sacrificium agni id est se ipsum de quo iohannes ait: Ecce agnus dei ecce qui tollit peccata mundi. Agnum inquit anniculum id est perfecte etatis, et predicatione agnum domino placabilem atque immaculatum, quia nullam peccati maculam habuit. Hunc agnum facit holocaustum id est totum igne sancti spiritus absumptum, et non certis diebus sed cottidie, nec quibuslibet hora sed mane facit illud per singula videlicet mane quando orto sole lucis exordium est. Qui super hoc agno qui mane semper offertur facit ipse princeps sacrificium cata mane id est iuxta mane sextam partem efi, subintelligitur simile, per quam panis dominici corporis innui potest. Sexta vero pars efi dimidius modius est, ut imperfectionem nostram designet, qui in hoc seculo modium integrum id est perfectam mensuram mysteriorum corporis dominici capere non sufficimus. Si enim ephi ut precognitum est id est tres modii, nulli dubium quin sexta pars ephi dimidium modium faciat. De oleo quoque mensura hin tertia pars offertur ut aspergatur simile sacrificium, quoniam in sacrificio corporis christi sit gratia trinitatis. Qui hoc sacrificium est iuge ac perpetuum, quod nullo intermittitur die, sed omni tempore orto sole semper

∴ qui frigoribus infidelitatis aut malicie deserens ad dominum convertitur, et in virtutibus consumatur. Ille vero per meridianam portam ingreditur et per aquilonis portam egreditur